



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Vndecima Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

## Vndecima Decembris.

I<sup>o</sup>. De SS. martyrib. Fusciano & Victorico.

Ex Vsuardo &amp; Iperio.

Ciuitate Ambianis, sanctorum martyrum VICTORICI & FUSCIANI. In horum naribus & auribus iussit iudex immitti taringas, & clauis ardentibus capita transfigi: deinde oculos euelli, ac postremò per eorum corpora iaculari. Sicque vnà cum sancto Gentiano hospite suo, capitibus amputatis, migrarunt ad Dominum. Qui prima fidei fundamenta iecerunt non tantum Ambianis, sed etiam in nostra occidua regione Teruānica. Scriptum est autem in chronicis Sithiensibus, ciues *Sithiu*, cùm animaduertissent partem exercitus Danorum descendere per cliuum montis, in quo SS. Victoricus & Fuscianus quondam primam eius patriæ ecclesiam ædificauerant: (ideoque sanctus campus, vulgo *Hellichveldt ofe lanr*, corruptè *Hellefant* nominatur) ciues, inquam, in Domino confortatos exiisse, & plus quàm trecentos Danos occidisse: reliquos in fugam conuertisse, anno octingentesimo nonagesimo primo. Prædicationem autem suam hi martyres Ambianis sub Rictiouaro præside & Neruici limitis præfecto, imperante Diocletiano, glorioso martyrio consignarunt. Quod breuiter Vsuardi verbis descripsimus. Porrò licet ignorem cuius linguæ dictio sit taringa (quæ etiam variè scribitur) Vincentius tamen in speculo historia-

rum,

Cap. 3. §. 3.

Lib. 12. ca.  
141. §.  
139.



rum, & alij plærique, sudem ferream intelligunt. Quare idem à crudelissimo iudice pertulerunt quod collega eorum sanctus Quintinus, cum quo à Roma in Gallias venerunt, & cuius visendi causa ex Teruanensi prædio ad Ambianos abierant, vt mutuo affatu de conuersa gentilitate gauderent.

## 2<sup>o</sup>. De sancta Ida Niuellensi.

*Ex historia eius, & relato Francisca Ferry,  
domicella Rameiensis.*

**I**N Brabantia, monasterio Rameia, obitus sanctæ Idæ de Niella, sanctimonialis ordinis Cisterciensis. Quæ primo habitauit in Kerckhum apud Thenas, sed cum linguam Teutonicam addiscere non posset, & locus aquarum inopia laboraret, aliud est ædificatum monasterium in Brabantia limitibus versus Namurcum, dictum Rameia, in quo hæc virgo vitam suam sanctissimè finiuit. Vnde in die depositionis, etsi non sit canonizata, ex consensu generalis Abbatis Cisterciensis sacrum fit de omnibus sanctis, cum collecta de communi virginum: & post sacrum duas habet antiphonas cum speciali collecta. Ecclesia tunc ornatur, omnes sanctimoniales communicant, & ex deuotione ab opere mechanico cessant. Sermonem sacerdos de ea facit, & in mensa vitæ eius series per aliquot dies legitur. Reliquiæ positæ sunt in sacello sancti Ioannis in capsula sub ipsius in habitu sanctimonialis effigie: caput verò inuolutum serico panno in celebrioribus festis ponitur in altari intra chorum sanctimonialium: Dens verò argento inclusus multis contra dentium dolores efficax attulit remedium. Denique quotiescunque litanias legunt aut canunt, eam post Agnetem vt domesticam patronam inuocant.

Decima